



Dissertatio exegetico-theologica de Jesu Christo divinam suam legationem vindicante

<https://hdl.handle.net/1874/301652>

UNIVERSITATIS LIBERTATIS-PROMPTORUM
 JESU CHRISTO,
 DIVINAM SUAM LEGATIONEM VINDICANTE
 PERI MARTINUS
 DE...

DISSERTATIO EXEGETICO-THEOLOGICA

DE

JESU CHRISTO,
 DIVINAM SUAM LEGATIONEM VINDICANTE.

CONCLUSIO I. DE...

AD ALBERTUM

INSTITUTIONES THEOLOGICAE

IN JESU CHRISTO

DIVINAM SUAM LEGATIONEM VINDICANTE

DISSERTATIO EXEGETICO-THEOLOGICA

DE

JESU CHRISTO,
DIVINAM SUAM LEGATIONEM VINDICANTE,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

PETRI HARTING,

MED. ET ART. OBST. DOCT. ET MATH. ET PHIL. NAT. PROF. ORD.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE

IN THEOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

CORNELIUS LOEFF,

Zwollanus.

A. D. XVII M. DECEMBRIS, ANNI MDCCCLVIII, HORA I.



Trajecti ad Rhenum,

TYPIS MANDARUNT KEMINK ET FILIUS,

MDCCCLVIII.

DISENTATIO KRISTOLOGICA

7
JESU CHRISTO,
DIVINAM SUAM DEIGATIONEM VINDICANTE

AVVUETFR SUMMO NUMINE

PETRI HARTING

AVVUETFR SUUO NUMINE

AVVUETFR SUUO NUMINE

AVVUETFR SUUO NUMINE

AVVUETFR SUUO NUMINE

AVVUETFR SUUO NUMINE

AVVUETFR SUUO NUMINE

CORNELIUS FORST

AVVUETFR SUUO NUMINE

AVVUETFR SUUO NUMINE

L. N.

PARENTIBUS.

PARENTIBUS

L. S.

Quo saepius in praefatione auctores librorum tenentur officio, ut scripti edendi rationes exponant et opus commendent lectoribus, hoc me absolvit lex, sacrosancta aspirantibus ad summos in theologia honores, utque specimine quodam conscribendo ad eos aditum sibi aperiant jubens. Quae immunitas grata atque accepta mihi adest, quum meae descriptionis justas asferre causas difficile foret. Ingenue enim fateor, me non scripsisse eo consilio — et lectores, si quos habiturus sim, huius memores, libellum benevole accipiant, obnixè rogo — ut novum aliquid proferrem vel defectui cuidam occurrerem: sit tantum ad probationem operae, quam studiis impendi, haud perditae.

Quorum studiorum viam quot quantique viri cla-

rissimi mihi indicaverint et paraverint, jucunda ac sancta est recordatio. Inter hos nominare debeo, Cl. VINKE, Promotorem aestumatissimum, qui me adeuntem numquam non exceptit benignissimus et mihi consiliis monitisque adsuit humanissime. Pro gravissimis tum illius, tum ceterorum praeceptorum in me meritis pares agere gratias non possum; sed laetor, quod oblata sit occasio palam profitendi, me iis gratiam habere et semper habiturum esse.

INTROITUS.

Si modum, quo JESUS divinum suum mandatum suscepit, consideremus et Judaeorum, inter quos prodiit, conditionem religiosam et moralem nobiscum reputemus, horum desideriis inceptum illius nullo modo favisse nobis in aperto erit. Nam JESUS ita administravit provinciam, ut opiniones, quas Judaei de Deo rebusque divinis fovebant, oppugnaret, illorum de Messia eiusque regno expectationes frustraretur atque omni eorum sentiendi et agendi rationi sese e diametro opponeret.

Professus se est Dei legatum, omnibus praecedentibus longe superiorem, eo consilio missum, ut verae vitae, quae justitia animi et sanctitate morum constaret, participes redderet Judaeos; hi vero, quibus appetitus rerum terrestrium divina-

rum studium suffocaverat, nullo eiusmodi Servatoris desiderio tangebantur. Quum inter Judaeos vigeret adhuc antiqua theocratiae sententia, qua omnium rerum Creatorem et Gubernatorem suum esse putabant Deum patrium et tutelarem, qui fata populi Judaici gubernaret cura speciali, cumque fore ut idem Deus per Messiam aliquando populum suum in pristinam majestatem et gloriam restitueret eique inter ceteras orbis terrarum nationes primum locum designaret sperarent Judaei, JESUS denunciavit se jussu divino novum, quod prius antiquaret, conditurum esse regnum Dei, patens illud, non tantum ABRAHAMI progeniei, sed universo generi humano. Judaei externa religionis instituta et ritualia praescripta anxie observabant et salutem collocabant in hac observatione, quam JESUS, potissima religionis parte in mentis vitaeque sanctitate posita, ut inanem et falsam notavit atque impugnavit. JESUS praeterea Pharisaeorum et Scribarum, penes quos rerum divinarum doctrinam et intelligentiam esse populus existimabat, commentis traditionibusque se fortiter opposuit et hisce commentis praetulit doctrinam suam, quippe quae unice vera esset et consentiret cum primitiva, quam leges Mosaicae spirabant, puritate.

Cui ea praedicanti populares haud adstipulatos esse, sed fidem negasse, mirum non fuit. Imo

non potuit, quin Judaeorum maior pars, imprimis optimates et sacerdotes, qui plurimum in republica pollentes, acerrimi erant theocratici regiminis vindices et omni instaurationi inimicissimi, JESU conatibus infensis animis obstarent et eorum quae affirmabat veritatem in dubium vocarent atque infringere studerent. Et profecto si quos negotii sui fructus sperare vellet JESUS, divinam, quam sibi verbis factisque adscripserat, dignitatem validissima vindicaret ratione necesse fuit. Quaeenam JESUS Judaeorum objectis et criminationibus opposuerit, quaeenam fuerit ratio, qua contra adversarios suam auctoritatem defendit, hac descriptione indagare consilium meum votumque est.

Verenti, ne, si diversorum auctorum relationes adhibere vellem, pensum superaret vires, mihi visa est haec disquisitio esse instituenda secundum evangelium JOHANNIS. Cuius unius narratione ut uterer, me praeterea permovit, quod JOHANNES materiam, qua indiget nostra disquisitio, completa quadam ratione comprehenderit; namque imaginem vitae JESU ita expressit, ut toto suo libro nobis proponat quomodo ille, lux vere divina, in tenebris se explicaverit, perpetuam atque in dies ingravescentem pugnam cum istis egerit et tandem plenam reportaverit victoriam. Itaque JOHANNIS evangelium eligendum decrevimus, quum votis no-

stris cumulate satisfaceret et nullius hac in re maioris ducamus narrationem, quam JOHANNIS.

Jam si locos, quibus JESUS divinae suae legationis veritatem ab infensis Judaeis vindicavit, legerimus, apparet variis modis eum rem suam egisse: modo suam dignitatem extra Judaeorum dubitationem posuit, argumentis eam firmans et comprobans, modo adversariorum objectis et jurgiis se opposuit, veritatem simpliciter exponens vel nude asseverans, modo se defendit adversarios impugnans eorumque criminationes in ipsos retorquens. Ad diversa haec momenta attendentes, disquisitionem, quo facilius rem agamus, ita instituemus, ut materiam, a nobis tractandam, *tribus* capitibus, ad quae omnia apte referri possint, complectamur.

Primo capite ea conferemus, quae JESUS in se defendendo Judaeis exposuit vel testatus est.

Altero cap. eam defensionis partem exponemus, qua JESUS veritatem suam, in dubium vocatam, argumentis prolatis vindicavit.

Tertio cap. videbimus, quomodo rem suam, adversariis impugnandis, vindicaverit.

CAPUT I.

COMPONUNTUR EA, QUAE JESUS IN SE DE-
FENDENDO ADVERSARIIS EXPOSUIT
VEL TESTATUS EST.

Jam accedimus ad eam disputationis nostrae partem, qua considerandi sunt loci, quibus JESUS divinam suam dignitatem, nullis argumentis prolati, simpliciter docendo vel asseverando, vindicavit. Hoc enim modo saepissime occurrit adversariis. Cuius rei quae ratio sit perspicuemus, si reputaverimus, quodnam consilium in re sua defendenda sibi proposuerit. Non tantum Judaeos ad silentium redigere et ab illorum criminationibus auctoritatem suam vindicare voluit, verum maxime eos in veritatis suae consortium adducere sui que boni participes reddere studuit.

Idcirco in legatione sua divina probanda atque dubiis refutandis non constitit, sed obcaecatas adversariorum mentes, suae legationis indole et ratione perspicue expositis, vero aperire falsasque opiniones pellere conatus est. Verum enim vero

Judaeorum, qui JESU obstabant, maior pars ei adeo infesta fuit, ut omnibus modis eius efficacitatem impugnarent, luculentissima etiam, quae iis proposuit, veritatis documenta addubitarent et vel evidentissimis, quae docuit, obloquerentur; quo factum, ut nonnumquam contra eos nihil agere potuerit, nisi suam veritatem solemniter testaretur vel nude asseveraret. Ceterum, quo sibi addictos redderet Judacos, eorum animos desiderio summi boni stimulare et metu malorum concutere conatus est; quem in finem saluberrimos, quos suis discipulis expectare liceret fructus, et infelicissimas, quae adversarios manerent, sequelas proposuit.

Haec omnia quae JESUS, sui defendendi causa, docuit vel testatus est, promisit vel minatus est, nunc nobis consideranda sunt.

Judaeis contradicentibus JESUS testatus est divinam suam originem et legationem, Joh. VIII: 42. Verbis *ἐγὼ γὰρ ἐκ τοῦ θεοῦ ἐξῆλθον καὶ ἦκω* spectavit suam ex Deo originem; quod enim utrumque huius sectionis membrum pro synonymo habendum sit, redarguunt verba *οὐδὲ γὰρ*, quibus alterum ab altero, origo a legatione, certo distinguuntur. JESUS hoc enuntiato suam ex Deo originem explicite docuit: *καὶ ἦκω* continet prioris explicationem atque notat effectum illius exitus ex Deo: *ego enim ex Deo egressus sum et adsum*. Quo sensu JESUS hoc loco divinam sibi tribuit originem? Voluitne suam, quae dicitur praexistentiam notare, an spectavit singularem, quae in se fulsit, naturam religiosam? Contexta oratio adhortatur, ut hoc effatum accipiamus de ipsius natura Dei imaginem perfectissime

referente¹⁾: namque eam originem divinam sibi vindicavit, quae ab hominibus religiosis sponte agnoscatur et ametur; quod tantummodo quadrat in naturam conformatam ad Dei voluntatem. Haec divina JESU origo non interpretanda est, quatenus omnia a Deo profecta esse dicuntur. Unica et singulari ratione e Deo ortus est JESUS. Divina origine ipse solus gaudet et hac a ceteris omnibus hominibus distinctus est. Id etsi ex loco de quo agimus, non possumus efficere, summa evidentia patet ex iis quae III : 13 reperiuntur. Huic divinae suae origini JESUS adjunxit suam legationem, οὐδὲ γὰρ ἀπ' ἐμαυτοῦ ἐλήλυθα, ἀλλ' ἐκεῖνός με ἀπέστειλεν, neque enim a me ipso, meo arbitrato, veni, sed ille me misit. Non sua sed divina auctoritate prodiit: Deus ipsum suae voluntatis apud homines interpretem constituit sui que consilii exsequendi provinciam mandavit. — Eadem JESUS professus est VII : 29 ἐγὼ οἶδα αὐτὸν ὅτι παρ' αὐτοῦ εἰμι καὶ κεῖνός με ἀπέστειλεν. provocavit ad divinam suam originem et legationem, quibus certissimam atque intimam suam divinarum rerum scientiam demonstraret.

JESUS asseveravit sua verba ex Deo oriunda esse. — Adversaria Judaeorum factio suam admirationem manifestaverat quod JESUS literis esset eruditus, quum doctorum scholas haud frequentavisset, VII : 15. Hoc procul dubio contenderunt eo consilio ut JESU doctrinam invisam redderent et in eum populi voluntatem mutarent. Quibus ille respondit sect. 16 : ἡ ἐμὴ διδασχὴ οὐκ ἔστιν ἐμὴ, ἀλλὰ

1) Cf. clar. SCHOLTEN dogm. chr. init. pag. 183, ed. alt.

τοῦ πέμφαντός με, doctrina, quam trado, non est mea, non acquisivi eam cogitando et ratiocinando, sed est eius, qui me misit. Doctrinam non debet JESUS suae meditationi, sed e Deo, veritatis fonte, illam repetiit. Verba sua e Deo originem duxisse declaravit etiam VIII:38 et 40: ἐγὼ δὲ εἶδρακα παρὰ τῷ πατρὶ μου λαλῶ· ὅς τὴν ἀλήθειαν ὑμῖν λελάληκα, ἣν ἤκουσα παρὰ τοῦ θεοῦ loquitur quae eōram patre suo vidit, veritatem, quam a Deo accepit. Cum in rebus cognoscendis τὸ ἑρᾶν et ἀκούειν nobis sint scientiae immediatae rebusque adaequatae praesidia, JESUS hisce verbis usurpatis snam divinarum rerum scientiam denotavit ut immediatam et ex intuitu haustam, neque ex aliorum testimoniis aut ratiocinando comparatam. — Itaque tribus hisce locis JESUS Deum ut doctrinae suae fontem designavit. Quaeritur autem, qua ratione ex hoc fonte JESUS suam doctrinam sibi comparaverit. Cui quaestioni solvendae nullum usum praestat locus VII:16: nam vere DE WETTE¹⁾ ad hunc monet: „JESUS spricht aber mehr vom göttlichen *Gehalte* und *Gepräge* seiner Lehre, wie das Folg. besonders vs. 18 zeigt, als von der Modalität ihres *Ursprungs*, obgleich der gen. τοῦ πέμφ. zunächst auf diesen geht, sowie nachher das ἐκ und ἀπό.“ Sed VIII:38 et 40 JESUS, quum verborum ἑρᾶν et ἀκούειν, tum formulae παρὰ τῷ πατρὶ μου usu, suam cum Deo communionem notavit ut rationem, qua sibi divinarum rerum cognitionem paraverit. Qua consuetudine alii eam intelligunt, quae Dei filio,

1) Kurzgefasstes exegetisches Handbuch, ed. quartae pag. 130.

antequam humanam assumeret naturam, cum Deo fuit; alii vero intimam familiaritatem et unionem, quam JESUS, hac in terra degens, cum Deo habuit. Quibus posterioribus ut assentiamus adducimur omnium, quae de hac necessitudine reperiuntur in Johannis Evangelio, JESU dictorum analogia. Hanc sententiam confirmat VIII : 55 ἀλλ' οἶδα αὐτὸν καὶ τὸν λόγον αὐτοῦ τηρῶ; hic et suam Dei scientiam et vitam ad Dei legem transactam copulavit¹⁾. Quae duo momenta JESUS conjunxit, quod hunc illius fontem et originem habuerit. Illum consulto ita locutum esse existimari licet, namque divinae legis impletio est fundamentum Dei cognitionis, qui puri cordis sunt, soli possunt videre Deum. Quare e nostra sententia JESUS suam divinarum rerum sapientiam repetiit ex intimo suo cum Deo consortio vitaeque, nullo peccato a Deo divulsa, sed fervidissimo Dei amore numquam non flagante: huius ope Dei patris sui voci audiendae et formae intuendae fuit maxime idoneus.

Professus est JESUS intimam suam cum Deo necessitudinem in omnibus, quae operatur. — Deum vocaverat patrem suum, cuius operandi normam imitabatur V : 17. Id quum dictum Judaei indignarentur magnaefque esset invidiae JESU, hic verba sua accuratius exposuit s. 19: ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐ δύναται ὁ υἱὸς ποιεῖν ἄφ' ἑαυτοῦ οὐδέν, ἐὰν μὴ τι βλέπῃ τὸν πατέρα ποιῶντα· ἃ γὰρ ἂν ἐκεῖνος ποιῇ, ταῦτα καὶ ὁ υἱὸς ὁμοίως ποιεῖ. JESUS suum effatum non retraxit, sed iterum se nuncupavit τὸν υἱὸν

1) Cf. LUTZ Biblische Dogmatik pag. 292 et 293.

filium Dei unigenitum, ethicam suam cum Deo conjunctionem cogitans, quae ipsi inerat natura. Ei, ut τῷ υἱῷ, eiusmodi cum Deo conjunctio intercedit, ut suo arbitrato nihil agere possit. Non potest a Deo sejunctus vel contra divinam voluntatem quidquam agere; non potest sibi quidquam arrogare vel ad suam libidinem operari, prouti ceteri homines, peccato a Deo abalienati. Totus e Deo pendet filius et in omnibus, quae agit, ad patris exemplum se conformat per perfectissimam, qua semper gaudet, patris eiusque operum intuitionem; quae enim pater facit opera, haec et filius pariter facit. — Eodem redeunt quae invenimus X: 30, ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἓν ἐσμεν. Magna cum offensione adversarii haec verba audierant, JESUM suam cum divina natura unitatem praedicasse rati. Sed ex iis quae sect. 34—36 disputavit, luce clarius patet JESUM eam cum Deo unitatem cogitasse, quae in naturam humanam recte conveniret, neque unionem physicam suae cum Dei natura. Hanc unitatem JESUS sibi adscripsit habita ratione sui operis non suae essentiae, namque sect. 36 praegressum suum effatum quod unum esset cum Deo sive quod filius Dei esset, eo vindicavit quod Deus ipsi munus mediatorium mandasset. JESUS spectavit perfectissimam illam omnibusque numeris absolutam unitatem, in hominum salute operanda, quae intercedebat inter Deum et se, divinae veritatis instauratorem, τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ. Ipse, qui divino humanae salutis consilio exsequendo constitutus est, et Deus unum sunt: non seorsum a Deo filius operatur vel suum negotium perficit, sed

Dei efficacia ejus est efficacia, Dei potestas ejus potestas. Itaque qui CHRISTUM ut suum pastorem sequuntur eique se tradiderunt, ex eius manu eripi nequeunt, nam sunt in Dei tutamine. — Suam cum Deo conjunctionem etiam testatus est ratione judicii, quod in hominibus exserebat, habita. Ita V: 30 declaravit: οὐ δύναμαι ἐγὼ ποιεῖν ἄπ' ἐμαυτοῦ οὐδέν· καθὼς ἀκούω, κρίνω· καὶ ἡ κρίσις ἢ ἐμὴ δικαία ἐστίν· ὅτι οὐ ζήτω τὸ θέλημα τὸ ἐμὸν, ἀλλὰ τὸ θέλημα τοῦ πέμψαντός με. Quod suum esse declaraverat iudicium de vita sua divina hominibus danda aut abneganda et de omnibus mortuis pro operibus retribuendis s. 21—29¹⁾), hoc aequum et justum se habiturum affirmavit. Non possum quidquam facere ex arbitrio; iudicium fero, quemadmodum a patre audio. Itaque meum iudicium justum est; Dei enim voluntas mihi est iudicandi norma, ab hac recedere non possum, quum non meam, sed illius voluntatem implere atque perficere studeam. — Pari modo ad suam cum Deo conjunctionem JESUS respexit VIII: 15 et 16, quum Pharisei, carnis cupiditatibus obstricti, ipsius de se testimonium valere negassent. Quorum agendi rationi reprobatae suam opposuit JESUS: ἐγὼ οὐ κρίνω οὐδένα καὶ ἐὰν κρίνω δὲ ἐγὼ, ἡ κρίσις ἢ ἐμὴ ἀληθής ἐστίν· ὅτι μόνος οὐκ εἰμί, ἀλλ' ἐγὼ καὶ ὁ πέμψας με πατήρ. Verborum ἐγὼ — οὐδένα sententiam ex praegressa oratione, intellecta κατὰ τὴν σάρκα, limitare vetant sequentia καὶ ἐὰν κρίνω, quae nullam admittunt re-

1) Hunc locum ob argumenti similitudinem retulimus ad Cap. II.

strictionem; quare JESUM vulgarem suam agendi rationem notasse statuimus cum MEYERO ¹⁾ et ver-
timus: ego ab omni condemnatione abstineo; sin-
vero condemno ego, judicium meum justum est,
nam solus non sum, sed ego et qui me misit,
pater. Quaecunque agit JESUS, non sibi relictus,
sed cum Deo agit; etiam condemnat ad Dei nor-
mam et voluntatem, ideoque vere et juste. — Ne-
que aliter VIII : 26 iudicii sui veritatem e sua
cum Deo necessitudine derivavit: πολλὰ ἔχω περὶ
ὑμῶν λαλεῖν καὶ κρίνειν· ἀλλ' ὁ πέμψας με ἀληθὴς
ἐστὶ· καὶ γὰρ ἃ ἤκουσα παρ' αὐτοῦ, ταῦτα λέγω εἰς τὸν
κόσμον, multa habeo, quae de vobis vituperem (λα-
λεῖν enim ob adjunctum κρίνειν sumendum est in
malam partem) et condemnem; ἀλλ' — ἐστὶ monente
LÜCKIO ²⁾, non reddunt rationem, quare, quod in
medium proferre posset, dicere noluerit, verum eo-
rum, quae dicenda habebat JESUS, auctoritatem
probant. Sed quae dico ex vero sunt, nam qui
me misit, verax est et ego, quae ab illo audiui,
haec ad mundum dico. Quae condemnat vel de-
nuntiat, non e suo ingenio haurit JESUS, sed Dei
sunt cogitata et verba et hanc ob rem verissima.

Huius cum Deo necessitudinis quae causa sit,
JESUS exposuit V : 20, ὁ γὰρ πατήρ φιλεῖ τὸν υἱὸν
καὶ πάντα δείκνυσι αὐτῷ, ἃ αὐτὸς ποιεῖ. Rei causa
sita est in singulari, qua Deus filium prosequitur,
dilectione, qua fit, ut filio Pater fecerit copiam

1) Kritisch exeg. Handbuch über das Evangelium des Jo-
hannes, ed 2^a.

2) Commentar über das Evangelium des Johannes, ed. 3^a.

sua opera cognoscendi et imitandi. — Aliam causam proposuit VIII:29, quo loco JESUS constantem obedientiam, quam Deo semper praestitit, ut suae cum Deo conjunctionis fundamentum commemoravit. Καὶ ὁ πέμψας με μετ' ἐμοῦ ἐστίν· οὐκ ἀφῆκέ με μόνον, ὅτι ἐγὼ τὰ ἀρεστὰ αὐτῷ ποιῶ πάντοτε, Deus, qui ipsum misit, ipsum non fortunae dedit, sed cum illo est intima unitate junctus, illique efficacissima sua ope adest, propterea quod ille semper agat, quae Deo placent. Vita JESU, ad sanctissimas Dei leges perpetuo transacta, ipsi indidit conscientiam Dei familiaritatis atque praesentissimi auxilii.

Adversariis solemniter declaravit JESUS, fore aliquando ut omnes mortuos in vitam revocaret et judicaret V:28 et 29. Hoc loco CHRISTUM de resurrectione et judicio, novissimo die habendis, verba facere, interpretes ad unum fere omnes consentiunt. Non mirari debebant Judaei ea, quae jam perficit opera, maiora etiam perficiet, nam veniet hora, qua omnes, qui in sepulero sunt, in vitam revocabit iisque, pro vita bene aut male acta, laetam aut miseram sortem assignabit. Nonnulli huius JESU dicti authenticam addubitant, qui tamen moventur rationibus levibus vel sanae criticae disciplinae alienis, quia hoc effatum cum eschatologiae, quae nunc imprimis viget, decretis conciliari nequeat. Nobis horum JESU verborum nexum cum praecedentibus ita informamus. Resuscitatio mortuorum et ultimum iudicium Judaeis erant criteria Messianae dignitatis. Haec attributa divina vivificandi et iudicandi JESUS sect. 20—27 sibi ad-

scripserat, popularium commentis substituto sensu puriore atque ethico, et adversarios ad efficacitatem, quam verbo suo divino jam exserere inceperat, ablegavit, ut eos suae vere divinae dignitatis convinceret. Illam autem efficacitatem quum tantummodo exsereret in iis, qui ipsius vocem exaudiverant, neque Judaeorum de Messia sua opinioni adaequata esset illa, JESUS sectt. 28 et 29 ad popularium opiniones descendens declaravit universalem mortuorum resuscitationem et iudicium se aliquando habiturum esse, quo omnem, quam Judaei in Messia reposuerunt, operis excellentiam sibi vindicaret atque significaret Messianam dignitatem sibi competere toto illius ambitu.

Suam dignitatis praestantiam supra ABRAHAMUM JESUS testatus est VIII: 56—58. Ex iis, quae de verbi sui virtute JESUS praedicaverat, Judaei effecerunt eum se ABRAHAMO praeferre; quod ei crimini dederunt. Huic criminationi ita occurrit JESUS, ut indicaret quaenam ratio inter se et ABRAHAMUM intercederet sect. 56: ABRAHAMUS exsultavit, ut tempus videret, quo JESUS in mundum veniret; et vidit et gavisus est. Quare ABRAHAMO, patri eorum, longe ipse antecellit, nam ABRAHAMUS ipsius adventum magna cum laetitia expectavit in terra et comperit in paradiso. Quae JESU verba adversarii perverterunt iisque professionem adscripserunt absurdam: ille idem, quocum agebant quique annos quinquaginta nondum natus erat, ABRAHAMI tempore jam adfuisset et illum vidisset! Quibus JESUS respondit: ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, ἐγὼ εἶμι: priusquam

ABRAHAMUS esse inciperet, ego sum, existo; tantum abest, ut professio, quam ipsi tribuerant adversarii, absurda sit, ut maiora de se praedicare possit: non solum ABRAHAMUM tempore jam adfuit, sed etiam ante ABRAHAMUM exstitit. JESUS verbo εἶπαι non *idealem*, sed *realem* denotavit existentiam; namque 1°. quum τὸ εἶναι CHRISTI opponatur τῷ γενέσθαι ABRAHAMUM, illud huic congruenter accipiendum est ut *absolute* positum et notionem existentiae habet neque per *ellipsisin* interpretari potest, 2°. JESUS hoc effato respondet quaestioni Judaeorum sect. 57, qui realem vel personalem cogitarunt existentiam.

Affirmavit JESUS nullos dari doctores et duces populi Dei, nisi quos ipse ad hanc provinciam administrandam pares reddiderit. Id primum Pharisaeos docuit oratione parabolica X: 1—5. Pharisaei scilicet, qui id temporis duces populi Dei celebrabantur, auribus ad vocem divinae veritatis praeclusis, suam in populum auctoritatem adhibuerunt, ut CHRISTI legationem divinam impugnarent populi que animos ab eo abalienarent. Haec perdita consilia prodiderant, cum JESUS coeco cuidam visum restituerat. Ille, ut suam dignitatem vindicaret et adversarios auctoritatis temere arrogatae conscios redderet, exposuit quinam pastores genuinorum Dei cultorum habendi sint. Sectt. 1 et 2 indicat quonam indicio verus pastor a falso dignoscatur: notam illam characteristicam collocat in τῷ εἰσερχέσθαι διὰ τῆς θύρας, qui non ingreditur per januam ad caulam ovium, ad consortium civium regni coelestis, fur et latro est; qui vero per ja-

nuam ingreditur, pastor ovium est. In hac sententia explicanda rei cardo vertitur in verbis *διὰ τῆς θύρας*, quam formulam nihil momenti habere cum LÜCKIO statuere, tum ea quae JESUS sect. 7 enuntiavit, tum contexta oratio vetant. Contextus requirit, JESUM verum et falsum pastorem ratione sui ducta notare: JESUS enim infenso quo Judaeorum pastores, Pharisei, ipsum prosequabantur, animo permotus fuit, ut traderet quaenam ratio inter ipsum et veros populi Dei pastores intercederet. Itaque verbis *διὰ τῆς θύρας* se ipsum spectat JESUS et declarat omnes veros pastores arctissima necessitudine ipsi esse junctos illamque necessitudinem ut veri falsive pastoris criterium indicat. Qui non ingrediuntur per CHRISTUM, sed ab ipso separati et ab ipsius auxilio destituti, non sunt pastores, in damnum et perniciem ovium veniunt; qui autem per CHRISTUM ingrediuntur, quibus ipse provinciam demandavit, veri pastores sunt: inter hos et oves recta ratio exstat, janitor eos intromittit, oves eorum vocem agnoscunt, illi noverunt oves suasque vocant nomine atque educunt. Iis obediunt oves; sed alienum, falsum pastorem sequi recusant oves et fugiunt, quia istorum vocem haud noverunt.

Cuius similitudinis mentem cum Pharisei haud caperent, JESUS sectt. 7—10 verba sua explicavit, habita ratione sui et adversariorum. Ipse est *ἡ θύρα τῶν προβάτων* i. e. *ἡ θύρα εἰς τὴν ἀλλήν τῶν προβάτων*, per ipsum aditus ad oves patet, per ipsum solum ad veri pastoris munus accedere licet. Si quis per ipsum ad oves intraverit, spiritu qui in omnem veritatem ducit imbutus, rem bene ge-

ret. Omnes vero, quotquot ante ipsum, sine ipsius ministerio, ovium pastores se constituerunt, sunt fures et latrones: JESUS verbis *ἔσοι πρὸ ἐμοῦ ἦλθον* sui temporis pastores, maxime Phariseos, contra quos verba faciebat, spectasse videtur, nam nullam admittunt interpretationem tolerabilem, nisi ea ad tempus, quo JESUS prodiit, restringamus. Quicumque illo tempore pastoris in regno divino auctoritatem sibi conciliaverint invito Christo, habuerunt auctoritatem falsam ovibusque perniciosam.

JESUS docuit se gentiles adducturum esse in regni sui consortium, X:16. Quam vehementer ethnicorum in regni divini societatem receptorum decretum Judaeos sollicitaverit et exacerbaverit, e religionis christianae ab Apostolis propagatae historia apprime constat. Sua ex ABRAHAMO origine fatisque pristinis superbientes Judaei ceteras gentes despexerunt et ad odiosum pervenerunt particularismum, quo ethnicos a gloria et salute, quas ipsi exspectabant, excluserunt. Quo factum, ut JESUM, de ethnicis adseiscendis dicentem, non aequis animis auscultare possent. Id vero JESUM non detinuit, quominus declararet, nullum originis vel nationis discrimen in regno coelesti obtinere seque vitam divinam impertire omnibus, tam ethnicis quam Judaeis, qui huic accipiendae pares essent. Non venit, ut solas oves domi Israël perditas congregaret atque pasceret, prouti Judaei sibi informabant Messiam. Habet enim oves alias, quae non sunt ex hac caula: ipsius sunt omnes, qui e gentilibus sint idonei ad Dei verbum audiendum. Hasce etiam oves Deus ipsi ducendas tradidit; nam cuncti cives

regni divini, omni discrimine sublato, unam efficiant societatem unice duce dicto audientes erunt.

Etiam de morte sua coram adversariis locutus est JESUS. Ita VIII:28 mortem suam violentam proposuit ut rem, quae in Judaeorum animis magnam vim habitura esset, quaque futurum esset ut adducerentur ad ipsi, filio Dei unigenito, fidem praestandam. Quae JESUS s. 26 de sua cum Deo necessitudine dixerat, adversarii non intellexerant; ideo affirmavit: *ὅταν ὑψώσητε τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου κ. τ. λ.* Quoties vocabulum *ὑψοῦν* apud JOHANNEM occurrit, non habet unam *τοῦ δεξιᾶζεσθαι* notionem, sed etiam ad mortis, quam JESUS subiit, rationem respicit, cf. XII:32—34. Quando exaltaveritis in crucem filium hominis, et ita ansam dederitis meae glorificationis et spiritus sancti efficacitatis, tum cognoscetis Messianam meam dignitatem et arctissimam meam cum Deo conjunctionem. Igitur qui JESU, dum vivebat, legationi credere pertinaciter recusaverant, hos fore ut ipsi nomen darent praedixit JESUS, cum ipsum interfecissent: omnibus, qui non obstinatis animis a vero et sancto abhorrent, JESU mors fidei causa foret. — Mortem suam, quae homines offensura esset, Deo gratam atque acceptam esse affirmavit X:17 et 18. Hoc loco vitae suae sacrificium, cuius sect. 11 et 13 mentionem fecerat, pluribus exponere pergit. Quod pro ovium suarum salute animam ponit, Deo gratum est: propterea Pater me amat, quod animam meam ponam, ut eam resumam. Verbis *ἵνα πάλιν λάβω αὐτὴν*, quae non cum *ἀγαπᾶ*, sed cum *τίθῃμι* construenda sunt, JESUS indicat eventum, quem hoc

vitae sacrificium sibi haberet; vitam suam immolat eum in finem ut illam recuperet, ex hoc vitae sacrificio consequens est, quod eam aeternam recuperet ¹⁾. Hoc sacrificium ex libero suo arbitrio JESUS facit. Nulla vi humana ad illud cogitur, ἀπ' ἑμαυτοῦ e libera sua voluntate animam deponit. Habet enim potestatem vitam deponendi et resumendi. Hoc mandatum a Patre suo accepit; Pater enim hoc ita ordinavit et illius mandatis non obtemperare non potest.

Ad divinam suam legationem agnoscendam Judaeos impellere conatus est proposito eximio ad bene beateque vivendum momento, quo sua doctrina redundabat. — Qui JESU verbo fidem habet, jam haec in terra fruitur vita aeterna V:24. Qui credendo ipsi morem gesserit, ἔχει ζωὴν αἰώνιον possidet vitam aeternam; praes. ἔχει et praet. μεταβέβηκε vetant ζωὴν de sola vita post mortem futura interpretari, notant vitam spiritualem qua, remota peccati corruptela, ad Dei similitudinem evehimur, et coelestis beatitatis participes reddimur. Καὶ εἰς κρίσιν cet. neque in iudicium damnatorium incurrit, sed e morte, peccati miseria et damnatione, transiit ad vitam, beatam illam atque aeternam. — Eandem sententiam JESUS enuntiavit adversariis VIII:51. Si quis verbum meum servaverit, mortem non conspiciet in aeternum; numquam mortis vim experietur, sed gaudebit tali vita, cuius jacturam pati nequit quaeque in aeternum perdurabit. Suos sectatores libertatem nacturos esse pollicitus

1) Cf. LÜCKE I.I. pag. 424 sqq.

est JESUS VIII:31, 32 et 36. Verba facit ad Judaeos, qui ipsi hostiliter oblocuti erant, verum ipsius oratione victi, inclinabant ad fidem. JESUS eos docet s. 31, si veris ipsius discipulis annumerari vellent, in fide praestanda perseverandum esse; quam ad perseverantiam ut illos incitaret, summam felicitatem, quam usu cognoscerent, notavit s. 32. *καὶ γνώσεσθε τὴν ἀλήθειαν, καὶ ἡ ἀλήθεια ἐλευθερώσει ὑμᾶς*, divinam, quae ipsius doctrinae inest, veritatem cognoscerent, et haec veritas eos liberaret. E collata sectione 34 edocemur JESUM libertatem spectasse *moralem*, sive eam facultatem, qua vitam nunquam non componimus ad legis moralis praecepta. Quae libertas cum hominis contineat summam perfectionem et summum bonum tam morale quam physicum, hae aptius perseverantiae incitamentum proponere JESUS non potuit. Hoc vero dictum Judaei aegre tulerunt, quare JESUS s. 34 et 35 hanc libertatem, ut rem praestantissimam regnique divini sociis maxime expetendam, proposuit. Quo quum libertatis suae momentum vindicasset, s. 36 rediit ad ea, quae s. 32 de se praedicaverat, *ἐάν οὖν ὁ υἱὸς* cet. si igitur ipse, Messias, divina veritatis virtute eos liberaverit, suam libertatem impertierit, vere liberi crunt, non amplius vana libertatis specie gloriabuntur, sed ea libertate gaudebunt, quae consortium regni coelestis obsignat et summa evadit beatitudo. — Discipulorum suorum felicitatem et securitatem JESUS pariter extulit X:28—30. Vita aeterna donat omnes, qui sibi fidem habent quosque sibi addictos novit. Haec, quam praebet sectatoribus suis, vita ab omni detrimento vel periculo tuta est;

neque illius jacturam facient umquam, nec quisquam eos perdet. Nemo e sua manu discipulos eripere potest: potestas enim, qua suos custodit et tuetur, omnium hostium potentia maior est. Sua scilicet tuendi potentia est una eademque, quae potentia Dei, qui oves CHRISTO dedit et cunctos potestate praestat; nam in ovibus tuendis et custodiendis unum est eum Patre.

Denique Judaeorum contradictionem JESUS conatus est vincere adhortatione et comminatione. — Adversarios admonuit se mox ab illis separatim iri VII: 33 et 34. Huius admonitionis ansam dederunt ea, quae Synedrium moliebatur ut JESUM comprehenderent. Ob infensa huius conamina cogitans de morte quae sibi instabat, declaravit se per breve adhuc tempus cum iis fore et abiturum esse ad illum, qui ipsum miserat. Quo magis autem adversarios incitaret ad bene impendendum tempus, quod adhuc suppeditabat, JESUS suum discessum ut absolutum designavit: *ζητήσατέ με καὶ οὐχ εὕρησάτε· καὶ ὅπου εἰμι ἐγὼ ὑμεῖς οὐ δύνασθε εἰσεῖν*. Haec verba non nimis esse urgenda, vere cum LÜCKIO et DE WETTIO statuitur; si *ζητήσατε* accipiamus de iis, qui salutis studiosi JESUM sincero proposito quaerebant, JESUS illos frustra quaesituros esse significasset, quod pugnat cum iis, quae VIII: 28 de mortis suae efficacitate affirmavit. Dictum simpliciter inservit augendae sententiae praegressae: plene ab iis separabitur, ita discedet ut eius consuetudinem frustra quaerent; nec cuivis homini locum, ubi mox discedit, adire licebit. Quare Judaeorum intererat avide uti spatio, quod adhuc restaret, audiendi atque

interrogandi: nam spatium illud breve erat, jam-
jam JESU praesentia privarentur. — Iisdem verbis
fere adversarios, quibuscum disputaverat, monuit
suum qui instabat discessum VIII:21, sed ver-
borum vim auxit addita comminatione καὶ ἐν τῇ
ἀμαρτίᾳ ὑμῶν ἀποθανεῖσθε. Quo Judaeos ab incre-
dulitate revocaret, miseram proposuit conditionem,
in quam ferrentur infesta illorum agendi ratione:
moriemini in peccato vestro, peccato contaminati,
a peccati servitute, cui dediti estis, non liberati
et ideo irae et damnationi divinae obnoxii. Hanc
comminationem, quam Judaei non animadverterant,
JESUS s. 24 confirmavit: diversa atque opposita
Judaeorum origo illos impedit, quominus JESU fi-
dem haberent; igitur vere praedicavit illos in pec-
catis suis esse morituros, nam sine fide Dei filio
unigenito habita nemo peccati dominationem re-
fringere potest.

CAPUT II.

EXPONITUR QUOMODO JESUS VERITATEM SUAM
IN DUBIUM VOCATAM, ARGUMENTIS PRO-
LATIS, VINDICAVÉRIT.

Hic quum nobis spectanda sit defensio proprie sic dicta, sive modus, quo JESUS divinam suam auctoritatem vindicavit argumentis prolatis, omnia comprehenduntur documenta, quibus hanc auctoritatem comprobavit.

Primarium et summum pro divina sua legatione argumentum JESUS habuit illud testimonium, quo Deus in ipso testatus est. Hoc divinum testimonium ipsi fuit duplex: Deus intimam suam cum Christo necessitudinem patefecit in illius *verbis* et *operibus* cf. XIV : 10.

Quod opera sive τὰ ἔργα praebuerunt argumentum, JESUS ut evidentissimum commemoravit X : 38, XIV : 11, ubi, qui ad ipsius vocem surdi erant, eos ad opera sua ablegavit, ut ex iis divinam ipsius dignitatem intelligerent. Itaque ab hoc argumento initium facimus. Ad τὰ ἔργα JESUS saepissime provo-

cavit, vidd. V:20, 36, VII:21, X:25, 32, 37, 38. Haec perficit nomine Patris, ex auctoritate Dei; Deus ipsi haec opera perficienda mandavit, V:36 ἃ ἔδωκέ μοι ὁ πατήρ ἵνα τελειώσω αὐτά, X:25 ἃ ἐγὼ ποιῶ ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ πατρὸς μου. Haec opera describit ut τὰ ἔργα ἐκ τοῦ πατρὸς μου X:32, vel simpliciter τὰ ἔργα τοῦ πατρὸς μου X:37, quia illa perficit ope et auxilio Dei. Quo sensu JESUS τὰ ἔργα usurpavit? Non potest accipi hoc vocabulum de solis miraculis; latiori enim sensu JESUS τὰ ἔργα usurpavit. Quatenam potissimum comprehenderit hoc nomine, ipse suis adversariis interpretatus est V:20—27. JESUS sectt. 19 et 20 eiusdem capituli arctissimam suam cum Deo necessitudinem asseruerat; hanc nunc confirmat atque explicat tota divina sua efficacitate proponenda. Tacite innuit sectt. 20 quod adversarii ex ipsius operibus, quorum specimen in paralytico sanando ediderat, hanc divinam necessitudinem efficere potuissent quodque ipsius miracula divinam jam comprobarent dignitatem; sed μείζονα τούτων, maiora quam huiusmodi opera, Deus ipsi conspicienda tradet ut illa perficiat, quae Iudaei in admirationem raperent et ad divinam Christi dignitatem agnoscendam impellerent. Maiora illa opera quatenam sint exponere pergit JESUS sectt. 21 et sqq. Ipsi concessa est potestas vivificandi mortuos: quemadmodum enim Pater mortuos suscitavit et vivificavit, sic et filius vivificavit. Hac vivificandi potestate JESUS cogitavit spiritualem hominis regenerationem et non physicam hominis resuscitationem; nam a sectt. 21 usque ad 27 sermo esse nequit de universali mortuorum resuscitatione, prouti sectt. 28

et 29, quia JESUS loquitur de opere praesenti et huius operis testes nuncupat suos auditores; neque quae de vivificatione JESUS s. 21—27 affirmavit, restringenda sunt ad eos, quos e naturali morte in vitam revocaverit, quum de vivificatione et de mortuis praedicentur talia, quae spiritualiter tantum accipi possunt ¹⁾. Itaque haec, quae JESU competit, vivificandi potestas intelligenda est de spiritualis vitae communicatione; quod recta ratio etiam requirit, namque vitae spiritualis instauratio, quae summus atque ultimus JESU legationis finis fuit, unice in censum venire potest, ubi JESUS de *sublimiore* sua efficacitate loquitur. Vitam illam JESUS non communicat cum omnibus sine discrimine: vivificat quos vult, quos dignos judicaverit; ex libero suo iudicio JESUS vitam suam distribuit, quam potestatem Deus ipsi tribuit s. 22: neque enim Pater quemquam judicat, sed filio in opere perficiendo omne dedit iudicium de hominibus servandis aut reprobandis. Quam potestatem Deus ipsi dedit eo consilio, ut omnes CHRISTUM divinae vitae auctorem agnoscerent et ei eundem, quem Patri, cultum praestarent; qui filium non honorat, non honorat Patrem, qui ipsum misit, ea enim ratio inter utrumque intercedit, ut Pater sine filio coli nequeat atque solum in filio et per filium verum cultum Patri deferre liceat (sect. 23). Accuratius etiam suam vivificationem definivit JESUS sectt. 24 et 25. Quosnam spectaret sua efficacitas indicavit s. 24: ii qui ad ipsius verbum attendunt ipsumque ut Dei legatum

1) Cf. omnino MEYER ad h. l.

honorant, divinam illam virtutem experientur. De tempore, quo maiora haec opera peraget, monet s. 25: hora illa, qua qui ipsi morem gesserit, vitae divinae compos fiet, jam adest, poterant ideo adversarii opera illa observare et ex iis divinam CHRISTI dignitatem efficere; sed efficacitas illa indies procedet et maiora incrementa capiet, ita ut eam nemo non agnoscat necesse futurum sit. Deum ipsi hanc vivificandi et iudicandi potestatem concessisse profitetur s. 26 et 27: ut Pater vitam in se ipso habet, omnis vitae fons est, sic et filio dedit potestatem habendi vitam in se ipso i. e. hominibus vitae fontem existere; et eum etiam instruxit facultate iudicandi, quia Messias est et ad illius opera iudiciaria potestas pertinet¹⁾. — Ex hoc loco igitur apparet, quod JESUS in illis, quae hac in terra perfecit, operibus, principem designaverit locum suae efficacitati, qua fideles spirituali vita imbuantur et a mundo segregentur. Verum dubitari non potest, num JESUS, cum V: 36 ad τὰ ἔργα ut evidens divinae suae legationis argumentum provocavit, ad eandem efficacitatem respexerit; hoc orationis series, quae arctissime cum antecedentibus copulata est, et verbi τελευτώ significatio docet, sed praeterea ipsa res loquitur, quod JESUS, ad operum suorum testimonium provocans, praeter minoribus maiora haud praeteriverit. — Quam ob causam τὰ ἔργα neque cum supranaturalistis de solis miraculis interpretanda sunt, neque cum ra-

1) De vera huius enuntiati interpretatione conf. LÜCKE ad hunc locum.

tionalistis, in alterum extremum ruentibus, de sola CHRISTI doctrina; hoc nomine JESUS comprehendit totam suam mediatoriam efficacitatem, omnia quibus negotium, a Deo ipsi demandatum, exequutus est, singula opera, tam physica quam imprimis spiritualia, quibus τὸ ἔργον, quod Deus ipsi commiserat, consummavit.

Ad τὰ ἔργα JESUS miracula, quae patravit, retulit. Licet τὸ σημεῖον veram miraculi notionem involvat, JESUS sua miracula, quippe quae divino suo operi consummando inservirent, τῶν ἔργων nomine etiam designavit, uti videre est e V:20, VII:21, X:32. JESUS autem miracula, ut minora opera, subordinavit internae suae efficacitati: in re sua vindicanda haud exiguum sane ad veritatis probationem momentum tribuit miraculis sed ea consideravit ut documenta, quibus homines, sublimiorum operum indoli agnoscendae adhuc impares, ducerentur ad fidem (VI:26). Fidem tamen e solis signis ortam iisque superstructam JESUS nullius habuit pretii, quum suis sectatoribus, qui ob signa ipsum fide amplexi erant, non fideret cf. II:23 et 24. Judaeos reprehendit IV:48, quod solummodo signis et miraculis ad fidem duci possent. Judaei enim miracula pro summis et unicis divinae auctoritatis argumentis habuerunt (cf. VII:31, IX:16, X:41), quae illorum opinio e Mosaicae religionis conditae et vindicatae traditione facile orta fuit. Sed JESUS ad dignitatem suam vindicandam rarissime signa sua adhibuit, ut illam adversariorum, qui ad sola miracula attendebant et maiora opera praetermittabant, nimiam opinionem cohiberet; non nisi II:19

ad τῶν σημείων, ipsorum signorum testimonium provocavit et adversarios signum flagitantes ad suam resurrectionem ablegavit, dummodo JESU verborum interpretatio, quam JOHANNES sect. 21 dedit, admittenda sit¹⁾.

1) Plerique hodierni interpretes, explicatione JOHANNIS rejecta, JESU verba de templo, ut religionis symbolo, accipiunt et JESUM se *novam religionem* conditurum esse significasse statuunt. Inter nostrates huic explicationi imprimis patrocinatus est Dr. LAURELLARD in *Disputatione de locis Ev. Joh. in quibus ipse auctor verba JESU interpretatus est*, Lugd. 1853; sed argumenta, quibus sententiam suam suffulsit me in eius partibus stare et interpretationem, quam JOHANNES falsae Judaeorum opposuit, missam facere non moverunt. Quod monet vir doct. cuiusvis homini, ubi loquitur, primum esse consilium ut intelligatur, neminem vero JESU auditorum hoc ex eius verbis efficere potuisse, si JOHANNIS interpretationem admittamus, nihil probat; nam *primum* JESU consilium his verbis loquendis non fuit, *ut adversarios doceret*, sed *ut illorum rogatum repelleret*. Quod eius consilium Judaei facile intellexerunt, quomodoecumque verba eius interpretati sint. — Quod ad verba ἐγερῶ αὐτὸν attinet, haec ex usu praecedentis imaginis templi commode explicantur, neque Johanneae maiorem, quam novae sententiae illi difficultatem pariunt. — Formulam ἐν τρισὶν ἡμέραις multo melius convenit in resurrectionem, quam in religionis instaurationem, rem non celeriter vel definito temporis momento actam, quam ob causam ad Johanneam interpretationem infringendam afferri non potest. — Neque contextus JOHANNI obstat: JESU reditus in vitam summa divinae illius dignitatis manifestatio s. *σημεῖον* fuit; quum Judaei templi purgationem hostili animo accepissent et divino, quo JESUS egerat, consilio contemto, signum postulassent, quo huius rei auctoritatem probaret, JESUS eorum, qui ex praeclaris ipsius operibus nullum divinae missionis do-

In legatione sua divina vindicanda JESUS, ut supra diximus, argumentum τῶν ἔργων maximi fecit, quum fuerit evidentissimum et ad Judaeorum intelligentiam accommodatissimum. Cuius homini, cuius in animo vox naturae excellentioris loqui non plane desiit, valet hoc argumentum quod miraculis et spirituali efficacitate constat. Miracula quidem veritatis documento sunt hominibus, qui in ultimo vitae religiosae gradu versantur, atque infimum pro CHRISTI dignitate argumentum constituunt, quum symbola tantum sint excelsiorum eius operum eaque praesignificent, cf. Matth. XI:5. Efficacitas CHRISTI spiritualis, quae in peccatorum vivificatione cernitur, gravius edit testimonium, quippe quod ante oculos ponat salutarem ac divinam virtutem, quam JESUS humana natura regeneranda et sanctificanda exserit, et exinde ad di-

documentum collegerunt, postulatam rejecit atque recte eos ablegavit ad resurrectionem, ut evidentissimum et inexpugnabile auctoritatis suae signum. — Synoptici, qui JESUM in primo vitae publicae stadio mentionem resurrectionis suae fecisse nullo verbo commemorant, JOHANNIS relationi haud favent: sed synopticorum silentium hac in re non magni est momenti, quippe qui chronologicum rerum ordinem parum curaverint, ut ipse L. consentit. — Usus vocabuli *υἱὸς* ex opportunitate, quam JESU praebuit templi purgatio, ultro enatus explicatur. Praeterea si JESU verba de religionis instauratione accepimus, ille, eodem temporis momento, templi sanctitatem *facto* restituit, *verbo* perfregit. CSS. MEYER qui maximis ad persuadendum momenti Johanneam interpretationem munivit, et cl. SCHOLTEN *Godg. Bijdr.* 1858, pag. 449, qui, authenticam sect. 21 rejecta, verba de *religione* instauratione explicat idque confirmat ex interpretatione inter Judaeos divulgata.

vinam huius efficacitatis originem concludere cogat. Nec tamen illa, per se spectata, verae fidei fundamentum esse potest, nam luculenta ac perfecta de JESU CHRISTO notio ex illius doctrina plene demum percipitur.

Alterum divinum testimonium pro JESU auctoritate praebuerunt τὰ ῥήματα. Haec JESU verba, doctrina, sive praedicatio continet τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, τὴν ἀλήθειαν, divinam veritatem, quae hominem de recta eius ad Deum relatione illustrat, a peccato liberat et vera vita imbuat. Quae verba hominum conscientiis se ultro commendant, nam coelestis originis atque cognationis notam ita prae se ferunt, ut unusquisque, qui rebus divinis intelligendis par est, ea ut Dei effata agnoscat necesse sit.

Hunc, quo doctrina sua eminet, veritatis characterem JESUS habuit gravissimum pro sua dignitate testimonium. Huic verborum suorum testimonio fidem, quam postulavit, superstruere studuit (XIV:11). Atque e rei natura apparet, quare fidei, quae operum testimonio excitata est, praeferenda sit fides e verbis orta; verbum enim nobis est purissima patefactionis forma, certissimum veritatis vehiculum, verborum tantum ope veritas perfecte communicari potest. Qui ideo JESU verbis permoti fuerunt, ut ei crederent, hi firmo et constanti animo ei adhaerere potuerunt, quum divinam eius dignitatem atque virtutem ex vero cognoverint atque perspexerint. — JESUS hoc verborum testimonium non nisi raro usurpavit contra adversarios ¹⁾. In evangelio Joh. illius coram ad-

1) Vid. LUCAE Evang. cap. XI:29 sqq.

versariis mentionem fecit VII:17, sed proprie non adduxit ut dignitatem suam vindicaret. Nec qua de causa hoc omiserit latet. Hoc testimonium haud quamquam cuiusvis captui est accommodatum: ut verum et divinum, quae JESU verba spirant, agnoscantur, requiritur naturae religiosae cultura maior, quam qua illius adversarii gaudebant. Quam conditionem, sine qua suae doctrinae veritatem cognosci nequit, ipse JESUS VII:17 Judaeis exposuit. Postquam sect. 16 divinam doctrinae suae originem affirmaverat, sect. 17 declaravit, hanc originem agnoscit tantum posse ab illo, qui θέλη τὸ θέλημα αὐτοῦ ποιεῖν. Sunt qui, non rite attendentes ad verbum θέλη, hanc formulam idem significare ac Dei voluntatem, a Christo revelatam observare vel Christo fidem dare, putent et hic internum experientiae testimonium inveniant. JESUS autem non de τῷ ποιεῖν, sed de τῷ θέλειν loquitur, et huic convenienter τὸ θέλημα accipiendum est de divina voluntate nullis finibus circumscripta: quicumque vult Dei voluntatem perficere, quicumque rerum divinarum amore atque studio tenetur, ipsius doctrinae originem cognoscere potest. Itaque JESUS non provocat ad salutare suae religionis effectus, sed *viam* indicat, qua ad divinam ipsius dignitatem agnoscendam pervenires. Quam divinitatem nemo perspicere potest, nisi qui boni, veri et sancti studiosus sit. Quo studio quum Judaei destituti essent, JESUS s. 18 addidit aliud criterium, quod cuiusvis ingenio erat accommodatum.

Ut divinam suam legationem comprobaret, JESUS argumenta sumpsit e morali sua natura.

Sic provocavit ad consiliorum suorum puritatem. Hoc argumentum invenimus VII:18. JESUS declaraverat se suam doctrinam non excogitasse proprio Marte, sed a Deo accepisse s. 16; quam assertionem probat allato indicio, quo divina veritas ab hominum commentis discerneretur. Quicumque ἀφ' ἑαυτοῦ, propria auctoritate loquitur, ea quae ipse excogitavit loquitur, quaerit suam gloriam; nam loquitur ductus sui amore, qui suis inventis proferendis hominum applausum sibi conciliare atque sui studium explere spectat. Qui autem Dei gloriam quaerit, Deo placere studet, verax est, vera et divina loquitur neque improbitas est in illo; namque Dei amore ductus loquitur, et ea, quae Deo grata atque accepta sunt, profert. Hoc enuntiatum suam in doctrinam convenire JESUS dicere praetermisit, cum unicuique est in promptu ipsius verba non hominum, sed Dei favorem spectare atque ita e Deo esse oriunda. — Idem veri criterium JESUS X:11-13 commemoravit. Summam in rebus sacris dignitatem sibi adscripserat verbis ἐγὼ εἰμι ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς, ipse est pastor ille bonus per excellentiam. Quod jure sibi tribuerit illam dignitatem in suo genere unicam, constat e sinceris et integris, quibus ducitur, agendi principiis. Haec enim est boni pastoris nota, quod animam ponit pro ovibus, quod summo erga oves fertur amore, quo ad ovium salutem semper intentus nullum damnum aut periculum reformidat et vel vitam immolat pro iis. Ex sincero hoc amore, ab omni sui studio alieno, bonus pastor dignoscitur; nam mercenarius et qui non pastor est, nullo ovium amore duci-

tur, sibi tantummodo prospicit, nullum pro grege sua incommodum aut periculum sustinet neque ovium, quae sibi commissae sunt, salutem curat. Ad hoc argumentum JESUS saepius contra Judaeos provocavit: praeter locos, jam allatos, eius mentionem fecit V: 41, VIII: 50 et 54. Qui usus repetitus statuere sinit, eum huicce argumento magnum concessisse persuadendi momentum. Et profecto ad adversariorum animos permovendos hoc fuit aptissimum; nam superstructum est illi regulae, de qua inter omnes homines constat. Neque ambigere potuerunt Judaei num hoc criterium in JESUM conveniret; licet ille Judaeis instaret, ut ipsi crederent ipsiusque dignitatem agnoscerent, omnibus perspicuum esse potuit, ipsum non ita egisse, ut suum honorem quaereret vel hominum favorem sibi conciliaret. Qui JESU agendi rationem ex aequo penderet, compertum habere debuit eum non hominibus, sed Deo probari studuisse eiusque consilia, ab omni honoris vel lucri quaestu immunia, Dei gloriam hominumque salutem unice spectasse.

Alterum argumentum JESUS repetiit e moralis suae conscientiae integritate. Objecerat Judaeis diabolicam eorum agendi rationem, quum ipsi fidem denegarent, propterea quod veritatem praedicaret VIII: 45. Cuius malitiae ut adversarios conscios redderet, demonstravit quam firmo et evidente fundamento ipse esset dignus, cui haberetur fides. Hanc demonstrationem sumpsit ex sua, quae dicitur, ἀναμαρτυσίᾳ. Interrogat adversarios: τίς ἐξ ὑμῶν ἐλέγχει με περὶ ἁμαρτίας et hac quaestione eos relegat ad vitam, quam palam egit, sanctam et a

peccato immunem. Quodsi inculpatam vitam ei denegare non possent infensissimi Judaei, neque quidquam producere, quo peccati eum convincerent, nullo jure mendacium, quod in peccato fundamentum habet, e solo peccato oriri potest, ei adscribere et eius praedicationem in dubium vocare licebat. Nulla ergo excusatione nullaque veri specie incredulitatem suam justificare poterant Judaei; iis manifestum erat vel manifestum esse poterat, JESUM esse Dei legatum eique, quippe divinae veritatis testi, verbis factisque probato, fidem habendam esse.

Denique provocavit JESUS ad divinae suae originis conscientiam. Hac in conscientia fundavit jus suum de se testandi. Ad eam provocavit VIII : 14 et 18. Mundi lucem sese professus erat, cuius, qui ipsum sequeretur, tenebras pellentem et vitae lucem praebentem. Ut eius verborum efficacitatem in auditorum animos infringerent, infesti Pharisei contenderunt hoc, quod de se JESUS ediderat ipse, testimonium rejiciendum esse e regula, coram omnibus recepta, nemini de se testari licere s. 13 : *σὺ περὶ σεαυτοῦ μαρτυρεῖς· ἡ μαρτυρία σου οὐκ ἔστιν ἀληθής·* quod ita intelligebant, quasi nullum aliud testimonium praeter assertum domini ad excitandam Israëlis fidem praesto esset¹⁾. Quibus JESUS respondit, vulgarem hanc testandi normam in se convenire negans : *κ' ἂν ἐγὼ μαρτυρῶ περὶ ἐμαυτοῦ, ἀληθής ἐστιν ἡ μαρτυρία μου· ὅτι οἶδα πόθεν ἦλθον καὶ πού ὑπάγω* sect. 14; *ἐγὼ εἰμι ὁ μαρτυρῶν περὶ ἐμαυτοῦ*

1) Cf. LAMPE comment. analytico-exeget. Ev. sec. Joh. ad hunc locum.

s. 18. Testimonium, quod ipse de se edidit, *vi-
get per se*, neque aliorum confirmatione indiget.
Ipse est idoneus suae dignitatis testis, ipsi licet
de se *testari*, i. e. quae per experientiam suam
edoctus est confirmare, namque novit unde vene-
rit et quo abiat, conscius sibi est divinae suae
legationis. Quod filius esset Dei unigenitus, quod
loqueretur quae coram Deo vidit, quod hominibus
vitae divinae fons esset, id altissime JESU animo
infixum fuit, eius rei talem conscientiam habuit ut
jure suo ipse ederet testimonium, quod hominum
fide esset dignum. De illo ideirco regula, qua ho-
mines vulgo obstricti sunt, non valet, eius in sua
causa testimonium verum est et ei de se testanti
credere Judaeos oportet. — Hoc de se testandi jus
JESUS non vindicavit V: 31. Illo loco Judaeorum,
quibus una divinae veritatis auctoritas haud suffi-
ciebat ut JESU crederent quique aliorum testimo-
niis atque commendationibus indigebant, desiderii
sese accommodavit. Contradictione enim, quam
adversarii objicere poterant, praeoccupata, solitae
testandi normae obsecutus est et suum aliorum
testimoniis confirmavit.

Ad veritatis suae probationem JESUS argumentum
sumsit ex ratione mutua, quae inter se et veros
Dei cultores intercederet. Hanc veri notam com-
memoravit X: 1—5, ubi Pharisaeis, falsis populi
Dei pastoribus, veri pastoris characterem de-
pinxit. Inter alias boni pastoris notas indicavit
mutuum notitiae et fiduciae vinculum, quo oves
cum bono pastore junctae sunt: τὰ πρόβατα i. e.
omnes, qui, amore Dei imbuti, divina sectantur

quibusque regni divini consortium destinatum est, veri pastoris vocem agnoscunt et ei obtemperant, cum sequuntur non caeca fide, sed intelligentes, quoniam eius vocem noverunt, quoniam eius doctrina ut sancta et divina se commendat ovium conscientibus; falsum autem sequi recusant, quoniam eius vocem non noverunt, eius doctrinam pietati alienam esse et divinis rebus adversari animadvertunt. Itaque hisce ovibus JESUS tribuit facultatem verum a falso dijudicandi; qualis pastor sit aliquis, verus an falsus, patet e ratione, qua oves eum accipiant et ad eius vocem attendant. — Ad hoc veri criterium JESUS X:14 et 15 provocavit, ut adversariis divinam suam dignitatem demonstraret. Quod de se testatus erat JESUS, se esse τὸν ποιμένα τὸν καλόν, confirmat necessitudine proponenda, qua cum meliore populi parte junctus est. Exstat mutua ratio inter ipsum et pios regni coelestis cives ad exemplar perfectissimae rationis, quae inter ipsum, filium unigenitum, et Deum intercedit. Qui inter Judaeos tamquam pii justique celebrabantur ipsum, ut pastorem vere bonum, agnoverunt et sequuntur; novit illos et ab illis notus est CHRISTUS eique obstricti sunt vinculo amoris et fidei. Haec intima CHRISTI necessitudo cum germanis regni divini sociis, Pharisaeis indicio illius legitimae dignitatis esse debebat.

Praeterea testimonium, quod sacrae veteris Foederis scripturae de Messia ediderunt, sibi esse dignitatis documento notavit JESUS V:39. Scripturae illae continebant effata, promissiones et vaticinia, quibus Judaei suas vitae aeternae expectationes

superstruxerant. Sed vitam illam, quam Judaei sperabant, scripturae ita praesignificarunt, ut omnes, qui in his perscrutandis recte versarentur, JESUM tamquam huius vitae mediatorem et scripturarum consummationem agnoscerent: ἐκείνοι εἰσιν αἱ μαρτυροῦσαι περὶ ἐμοῦ, illae hominem, scrutando operam dantem, ita informabant, ut CHRISTUM lucis vitaeque fontem sponte amplecteretur; spiritus enim prophetarum idem fuit ac spiritus, quo CHRISTUS erat impletus, Deus idem, qui per prophetas locutus est in scripturis, jam per CHRISTUM ad Judaeos loquebatur. Quare qui sacras scripturas sincero proposito atque animo veri studioso investigaret, non potuit non agnoscere JESUM ut finem eorum, quae illae continebant, effatorum. Sed Judaei, qui CHRISTO obsistebant, impares fuerunt huic scripturarum testimonio audiendo; cum summa religione scripturas venerarentur earumque vocibus, tamquam divinis oraculis, crederent, efficacissimum sane iis fuisset scripturarum testimonium, nisi genuinum scripturarum sensum praecluserant falsae opiniones atque perversa studia, et, quemadmodum PAULUS scripsit ¹⁾, κάλυμμα ἐπὶ τὴν καρδίαν αὐτῶν situm fuisset, quo, ne intelligerent, impedirentur. Hanc ob causam JESUS nostro loco simul et suam auctoritatem scripturarum testimonio firmavit, et adversariorum perversam perscrutandi rationem carpsit: Vos scrutamini scripturas, quarum argumentum est meae personae testimonium; neque huicce testimonio credere et ad me venire vultis. — Cum JESUS

1) Cf. 2 Cor. III: 15.

ab operibus transiit ad scripturarum testimonium commemorandum, ita locutus est, ut hoc, tamquam immediatum Dei testimonium, antecedenti opponeret sect. 37; quod pronomen *αὐτὸς*, emphatice positum, et perfectum *μεμαρτύρηκε* luculenter docent. Quod ad hunc locum animadvertit DE WETTE, testimonium scripturae inferiori loco, quam illud *τῶν ἔργων* habendum esse, non obstat, quominus JESU verba de sacrarum scripturarum testimonio interpretemur. Nam JESUS verba facit contra Judaeos, qui ea, quae sacris suis scripturis consignata erant, ut immediata Dei effata venerabantur¹⁾. Quorum morem secutum fuisse JESUM tuto statuere licet.

In sua legatione defendenda JESUS etiam laudavit testimonium, quod de ipso ediderat JOHANNES baptista, V: 33—35. Hoc JOHANNIS testimonium ex vero fuisse profitetur quidem, sed se silentio praeterire dicit, tum quia maius ei suppedicaret sect. 36, tum quia hominis esset testimonium et hac in causa humanum testimonium non admitteret sect. 34. Quod JOHANNIS testimonio illud, quod Deus in ipsius operibus edidit, praetulerit, haud mirum nobis videri potest, reputantibus JESU dignitati maiorem auctoritatem conciliasse ipsius facta, quam alius dicta. Sin vero perpenderit, JOHANNEM a Deo fuisse suscitatum, ut de luce testaretur atque viam Messiae pararet, eundemque austera vitae ratione atque laeta regni coelestis denuntiatione efficacitatem haud exiguam in popularibus consecutum fuisse, quaestio oritur cur JESUS illius

1) Cf. LÜCKE II. p. 85.

testimonium verbo tantum commemoraverit et id, ut *humanum*, ad suam dignitatem confirmandam usurpare noluerit. Cuius rei causa posita esse videtur in Judaeorum de baptista opinionibus; si enim nullum testimonium, hominum ministerio prolatum, in re sua vindicanda usurpare voluisset JESUS, non provocasset ad sacras veteris Foederis scripturas, prouti in eadem orationis serie sect. 39 fecit. Sed adversariorum causa hanc regulam posuit. E JESU sententia fuit JOHANNES Dei legatus illiusque testimonium, non minus quam sacrorum librorum vox, gravissimum; verum Judaei JOHANNEM, tamquam virum extraordinarium quidem venerati sunt atque ei aliquam fidem praestiterunt, nec tamen eius testimonium, ut divinum, receperunt. JOHANNES aequalibus suis vera prophetae nota caruit, quia nullis signis praedicationem suam confirmaverat (cf. X:41). Haecc Judaeorum incredulitas JESUM impedivit, quominus JOHANNIS testimonium pro sua dignitate usurparet; ipse contra JESUS JOHANNI auctoritatem conciliare conatus est, declarans quantum pretium JOHANNI esset tribuendum et perversam, qua Judaei eum acceperant, rationem vituperans sectione 35.

CAPUT III.

EXPONITUR QUOMODO JESUS SUI DEFENDENDI CAUSA IMPUGNAVERIT ADVERSARIOS.

In consideranda ratione, qua JESUS divinam suam legationem vindicaverit, maximi momenti est exponere modum, quo ipse adversarios suos impugnaverit, quia partem JESU defensionis non mediocre efficit. Etsi veri demonstratio in se continet erroris refutationem, JESUS in auctoritate sua demonstranda atque argumentis probanda non constitit, sed data opera Judaeorum errores impugnavit et refutavit. Quo magis adversarios ad se traheret iisque suae dignitatis evidentiam ostenderet, eorum errores impugnavit, criminationes, quibus in ipsum usi erant profligavit, iis opiniones praecipue ademit, eosque odii, quo in ipsum ferebantur, convicit perversitatis ac malitiae. Ita fundamentis, quibus Judaeorum incredulitas et offensa nitebantur, evertendis, JESUS nihil reliqui fecit, ut viam ad credendum adversariis sterneret et sua divina veritate eos imbueret.

JESUS impugnavit perversas, quas de Dei operibus atque natura nec non de Messia fovebant Judaei, notiones, quibus ducebantur ut CHRISTUM repudiarent et persequerentur.

Huius exemplum reperimus, V:17. Sabbathi die aegroto cuidam valetudinem reddiderat JESUS eumque sublato lecto ambulare jusserat. Quo facto eum et ipse Judaicam sabbathi observationem violasset et sanato viro sacrosancti diei violati auctor extitisset, Judaei eum odio habuerunt atque criminationibus petierunt. Ille defendit suam agendi rationem adversariis reponens: *ὁ πατήρ μου ἕως ἄρτι ἐργάζεται καὶ γὰρ ἐργάζομαι.* — Judaei scilicet in sabbatho observando se ad Dei exemplum conformabant secundum ea, quae 1 Mos. II:1—3 tradita sunt. Qua narratione inepte intellecta statuerunt, Deum illo die ab omni opere vacasse, et huic interpretationi anxiam suam diei sabbathici observationem superstruxerunt. Quo circa magna ira invehebantur in JESUM, qui illud sanctissimum praeceptum se parum curare ostenderat. JESUS vero adversariorum errorem impugnat iisque irae causam adimit, veram Dei notionem falsae illorum opponens: provocat ad continuam Dei efficacitatem, perspicuam illam in mundo conservando et gubernando, quam nemo Judaeorum salva pietate negare potuit. Quodsi adversarii in sabbatho colendo Dei exemplo obsequerentur, ipse ad hanc continuam Dei efficacitatem eo meliore jure, ut normam, vitam dirigere poterat, qui peculiaris cum Deo conjunctionis conscius sibi esset et Deum patrem suum vocaret.

Alium de Dei natura errorem, in quo versabantur Judaei, impugnavit X:34—36. Judaei Dei unitatem et transcendentiam quae dicitur, ita urserunt, ut Deum et hominem sibi invicem prorsus oppositos esse opinarentur. Itaque non informare potuerunt Deum cum homine suam majestatem participare et homini praedicatum *Dei* vel *Dei filii* competere. Ubi JESUS suam cum Deo unitatem praedicaverat, atque ratione habita muneris, quod Deus ipsi imposuit, divinam gloriam sibi adseripserat s. 30, id dictum magna invidia consecuta est. Namque Deum proprium suum patrem nuncupasse visus est hostibus, quare eum blasphemiae reum habuerunt lapidibusque obruere voluerunt. JESUS adversariorum errorem, qui iis commotionis fundamento fuit, refutavit et probavit hominis divinae dignitatis communionem consentaneam esse sacris veteris Foederis scripturis. Cum hae scripturae iis gauderent auctoritate normativa in dignoscendo quid verum et licitum esset, non poterant ipsum blasphemiae accusare. Scripturae enim docent Deum et hominem non distare ratione absoluta et opposita, nuncupant homines, et eos injustos, *θεοδὲ*, quod e Dei auctoritate magistratum gererent; quo meliore jure ipse, quem Deus sibi consecravit, sibi privum ac proprium dicavit, provincia Messiae ipsi demandata et in mundum misit, *ὡς θεοῦ* se dicere potest.

Falsam de Messia opinionem, quae a fide Judaeos impediabat, impugnavit VII:25—28. Nonnulli ex Hierosolymitanis, gravissimis, quibus JESUS causam suam dixerat, verbis et dubia, qua magistratus cum illo agebant, ratione permoti, incli-

nabant ad fidem CHRISTO habendam. Quam propensionem pepulit recordatio opinionis de Messia vulgatae, secundum quam hoc Messianae dignitatis esset indicium, quod nemo eius originem, familiam et parentes noverit; quo indicio quum JESUS carere videretur, ei, ut expectato Messiae, nomen dare recusarunt et in obstinatione perseverarunt. JESUS illorum praejudicium refutavit iisque dixit sect. 28: et me nostis et nostis unde sim, et tamen non a me ipso, propria auctoritate veni, sed qui me misit, verus est i. e. vere mittit, missus sum ab illo, qui solus in rebus divinis legati provinciam demandare potest; quem vos non nostis. Itaque Judaeis concessit eos humanam ipsius personam atque originem nosse, sed simul affirmavit humanae origine divinam suam legationem quae agebatur, haud excludi. Ipse gaudet divina legatione et in ea adest, quam Judaei requisiverunt quaque JESUM carere opinati, repudiarunt, peculiaris origo, sed eam cognoscere non possunt, quia divinis rebus intelligendis impares sint.

JESUS adversariis ademit praejudicatas de Judaica natione opiniones, quae impediabant quominus ipsum fide amplecterentur.

Sic Judaeis spem salutis, quam in MOSE positam habebant, extorsit V: 45—47. In proxime praecedentibus JESUS provinciam suam exposuerat, argumentis firmaverat, et Judaeos, qui illam credere non potuerunt, reprehenderat; ex iis autem, quae reprobaverat, non efficere debebant Judaei CHRISTUM ipsos apud Deum accusaturum esse, quod eum Dei legatum repudiarent: Nolite putare me vos ad

Patrem delaturum esse. Non accusabit, alius eos jam accusat, MOSES ille, in quo fiduciam reposuerunt. MOSES quem tanto ardore colebant, cuius legem tam ardentem propugnabant, idem Judaeos accusat, quod ipsi dicto obedientes non sint. Nam MOSI credere recusabant, illius testimonium facto rejiciebant: ille de JESU, quippe Messia, potissimum scripserat atque Israëlitae ei obedire jusserat. Quicumque CHRISTO fidem denegat, MOSEM repudiat et ab hoc convincitur incredulitatis. Quod quum ita esset, JESUS frustra exspectaret adversarios ipsi fidem habituros esse: si MOSIS, cuius auctoritatem tanti faciebant, scriptis non crederent, quo modo ipsius, cuius legationem tam acriter obtrectabant, verbis crederent.

Vanam libertatis opinionem impugnavit VIII:34-36. Quae dixerat JESUS de verbi sui virtute, quippe quod per veritatem Judaeis communicaturum sit libertatem, adversariorum animum offenderunt; cogitaverunt JESUM libertate promissa injuriam ipsis obtulisse: semen ABRAHAMAE sunt neque cuiquam unquam servierunt, numquam mancipiorum sorte usi sunt, semper sua jura ac privilegia servarunt, ideo non sunt servi, non desiderant libertatem, neque CHRISTI dono egent. Quibus hic, a libertatis jactantia refutanda incipiens, respondit suam libertatem esse aliam, quam qua Judaei gloriabantur: ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν ὅτι πᾶς ὁ ποιῶν τὴν ἁμαρτίαν, δούλος ἐστὶ τῆς ἁμαρτίας, quicumque peccatum perpetrat, in peccando versatur, servus peccati est, foedissimae servituti deditus est atque indiget libertate. Quare Judaeos irasci non oportet,

quod iis libertatem suam JESUS obtulerit, nam illa libertate carent. Quantopere illorum interesset hac libertate frui JESUS sect. 35 imagine quadam expressit: servus non manet in aeternum in domo, e domo expelletur, quia ad familiam non pertinet; filius, qua heres, semper suo jure in domo patris manet. Adversarii, quippe peccati servituti obstricti, tandem privabuntur consortio regni coelestis, hocce consortio nemo gaudet nisi liber Dei filius. Quam ob causam CHRISTI donum haud contemnendum esset Judaeis, nam, uti jam antea dixerat, non poterant regni divini socii fieri, nisi ipse, filius Dei unigenitus, eos vera libertate donaverit et Dei filios creaverit.

JESUS demonstravit Judacos non ABRAHAMI neque Dei, sed diaboli esse filios VIII: 37—46. Judaei ob originem suam Abrahamiticam societatem regni divini sibi vindicabant; hac origine freti ea quae JESUS postulaverat ut salutem Messianam consequerentur, rejecerant: sumus semen ABRAHAMI, cui laetissima despondit Deus, cui ethnici aliquando obtemperaturi sint. JESUS iis concedit s. 37 originem ex ABRAHAMO, sed quod ad carnem, non quod ad animi habitum attinet: scio vos semen ABRAHAMI esse, sed quaeritis me interficere, quo demonstratis vos a patris vestigiis deflexisse atque ab illius animo degeneratos esse. Hoc malitiosum propositum JESUS repetiit ex eo, quod verbum suum, illorum animis repugnans, in illorum praecordia non penetraret. Cur ipsius verbo amplectendo impares sint s. 38 explicavit; causa sita est in patrum, a quibus originem ducunt, diversitate: ego quae co-

ram patre meo vidi, loquor, et vos, quae coram patre vestro vidistis, facitis. Quae quum JESUS locutus erat, adversarii, animadvertentes eum ortum ipsorum Abrahamiticum in disceptationem vocare, ipsisque originem odiosam adscribere, iterum affirmarunt ABRAHAMUM suum esse patrem. Tum JESUS eius, quod contenderunt, falsitatem aperte enuntiavit s. 39 et 40: si filii ABRAHAMI essetis, ABRAHAMI opera faceretis, nam filii boni ingenii opera patris sectentur atque imitentur necesse est. Vos autem proditis animum et perpetratis opera, quae ABRAHAMO prorsus repugnant; vos non delectamini rebus divinis, sed sanguine et mendacio, nam nunc me quaeritis occidere, hominem, qui vobis veritatem locutus sum, quam a Deo audiui. Tale quid ABRAHAMUS non fecit, neque cum illius ingenio conciliari potest. Itaque quae perpetratis opera, non sunt ABRAHAMI, sed patris vestri. Quemnam loco ABRAHAMI patrem JESUS ipsis adscribere vellet, Judaeos adhuc fugit; ubi vero Deum patrem suum notasset, adversarii suspicati sunt se a JESU haberi filios Dei adulterinos, sectatores idololatriac. Quam turpissimam de sua generatione suspicionem ut removerent responderunt: nos ex adulterio non sumus nati, unum patrem habemus et quidem Deum. Nunc JESUS evidenter docet et demonstrat sect. 42—46 quinam esset pater illorum habendus. Deus non est pater vester; si esset, me non amare non possetis, namque ego e Deo originem duco. Quicumque ergo e Deo est, divinarum rerum amore atque intelligentia praeditus est, ille Deum in me esse agnoscit,

divinam meam originem fide amplectitur, me toto pectore excipit meaue verba, ut Dei verba, amplectitur. Quare sermonem meum non percipitis? Quia non potestis audire meum verbum, quod vestris praejudiciis atque pravis desideriis plane adversatur; vos enim ex patre diabolo estis et cupiditates patris vestri perficere vultis. Haec origo et hae, quibus agitamini, cupiditates oculos vestros oboccearunt auresque ad veritatis vocem obdlexerunt. Cum diaboli characterem constituent studium caedis et odium veritatis, vos, iisdem incumbentes, diaboli imaginem refertis et diaboli filios vos esse profitemini. Nam propterea quod ego veritatem nuntiam mihi credere recusatis. Ipsum veritatem loqui nemo adversariorum cum quadam aequi umbra inficias ire potuit; cui quum fidem denegarent, indicant se non e Deo, sed e diabolo esse. Alteram, quae Judaeis inerat, originis diabolicae notam jam sect. 40 adversariis objectaverat JESUS. Profecto si quid aliud, haec JESU disputatio apposita fuisset ad frangendam fiduciam, quam in suo genere collocabant Judaei, illosque verae originis conscios reddendos.

Criminationes, quibus Judaei utebantur, JESUS profligavit et in adversarios retorsit.

Demonstravit criminationem sabbathi violati inanem esse Judaeis, qui idem sabbathi praeceptum violabant, idque ob rem minoris momenti VII: 21—23. Judaeis, in hostili erga JESUM animo persistentibus, hic ad sanationem, quae sabbatho perpetrata hostilitatis ultima causa fuit, recurrit atque hoc factum iterum defendit, quo adversariis

odii falsitatem aperiret. Unum opus feci et omnes miramini propterea, indignamini hoc factum. Verum illam sabbathi violationem sine justa causa aegre fertis, vestram agendi normam hac in re secutus sum. MOSES vobis praescripsit circumcisionem — non quod illa e MOSE sit, sed e patribus originem ducit; hoc enuntiato cavetur ne quis huius moris originem e MOSE repeteret — et huic legi convenienter circumciditis hominem sabbathi die. Jam si circumcisionem accipit homo sabbatho, ne MOSES praescriptum de circumcissione tolleretur, quo jure mihi succensetis, quod sabbatho totum hominem sanavi. JESUS e minori ad maius concludit: si Judaei sabbathi legem violarent circumcissionis causa, quae unum solummodo spectat membrum, nullo modo ipsi dare poterunt crimini, quod legem migrasset, peracto opere, quo totum hominem in valetudinem restituit.

Refutavit objectionem, quam contra ipsum, de se testantem, protulerant Judaei, VIII: 17 et 18. Quae JESUS sect. 12 de se praedicaverat, Pharisei in dubium vocarant, quia pugnabant cum consuetudine coram omnibus recepta. Postquam suum de se testandi jus defenderat JESUS, ad refragantium ingenia descendens exposuit, sua dicta cum legis Moesaicae praescripto congruere. Vestra lex duorum hominum testimonium requirit, ut aliquid pro certo habeatur. Huic postulato meum testimonium satisfacit, nam ego e divinae meae legationis conscientia testor in mea causa, et testatur de me Pater, qui me misit. Itaque testimonium, quod JESUS de se edidit quodque veritati probandae sufficeret, con-

firmabatur testimonio, quod Deus in ipsius verbis atque operibus edidit, neque erat adversariis quod JESU dignitatem addubitarent.

Adversariorum convicia revieit JESUS VIII: 49 et 50. Ubi gravissima oratione Judacos malitiae convicerat, illi calumniando tantum et conviciando respondere potuerant: nonne pulchre dicimus te esse samaritanum, apostatam, et daemonium habere. Quibus JESUS reposuit: ego daemonium non habeo, sed honoro Patrem meum, Dei honorem promovere studeo, eius verbo nunciando eiusque nomine patefaciendo; et vos me injuria afficitis propterea, quod sane magis est eius qui daemonium habet. Adversarios autem non reprobavit, ut suum honorem quaereret, haec non dixit sui causa, nam ipsius honorem Deus vindicat et judicat. — Pariter secti. 54 et 55 suum honorem Deo acceptum retulit, quum Judaei eum superbiloquentiae accusarent. Quam criminationem refellens: si ipso, inquit, mihi honorem facio, honor meus nullus est. Sed honor meus non mundanus est, verum a Deo proficiscitur: Pater meus est, qui me honore ornat, qui mihi eam concessit efficacitatem, qua omnes, quotquot verbum meum servaverint, a morte eripere valeo, idem Deus, quem Deum nostrum nuncupatis. Sed non reapse, nomine tantum, Deus vester est; non novistis neque amatis eum, alioqui ad illius manifestationem non maneretis surdi.

Tandem JESUS adversarios reddidit conscios incredulitatis, huiusque rei malitiam demonstravit atque causas revelavit.

Commemoraverat cap. V: 36 et 37 testimonia,

quae de ipso Deus mediata ratione in operibus edidit et immediata ratione in sacris scripturis ediderat. Nunc adversariis objectavit illos hisce testimoniis intelligendis impares esse: οὔτε Φωνὴν αὐτοῦ ἀκηκόατε πάποτε, οὔτε εἶδος αὐτοῦ ἐωράκατε· καὶ τὸν λόγον αὐτοῦ οὐκ ἔχετε μένοντα ἐν ὑμῖν ὅτι κ. τ. λ. Priore horum verborum membro JESUS spectavit testimonium Dei mediatum in suis verbis operibusque, ad quod sect. 36 provocaverat; namque in ipso Patris Φωνῇ auditur et εἶδος conspicitur, quia verba Dei loquitur et divinam imaginem vita sua exprimit; sed ad hanc Dei manifestationem observandam Judaeis oculos auresque deesse declaravit. Altero membro respexit ad testimonium quod Deus in sacris scripturis edidit, de hoc Dei verbo JESUS exprobravit Judaeis, quod illud non haberent manens in cordibus; hoc verbum non habuerunt animis receptum, sibi non adseiverunt in succum et sanguinem, ut salutarem suam virtutem exsereret. Eo enim, quod Dei legato fidem denegarent, prodiderunt Judaei, se divinis hisce testimoniis agnoscendis impares esse. Etiam sectt. 39 et 40 JESUS in scripturae testimonio substitit et aperuit quam inepte et absurde adversarii versarentur in libris sacris perscrutandis: scripturae vobis praecipunt, ut mihi, vitae fonti, nomen detis, sed scripturas investigatis neque ad me venire vultis, ut habeatis vitam illam expectatam.

Huius perversae voluntatis quis fons sit detegit sect. 41—44. Honorem ab hominibus, qui e hominum peccatorum communione comparatur, non sumo, sed cognovi vos *Dei amorem* (τὴν ἀγάπην

τοῦ θεοῦ) non habere in cordibus vestris. Huius amoris defectus est causa incredulitatis atque hostilitatis Judaeorum; amor enim Dei principium est, quo vera et sancta expetimus Deoque probari studemus; ubi hic amor desideratur, res divinae cum contemptu et odio excipiuntur, ea tantum aestimantur quae humilia atque abjecta sunt, ea tantum sectantur quae nobis hominum applausum conciliant. Quo Dei amore cum Judaei destituti essent, non delectati sunt iis, quae sancta et justa sunt, non quaesiverunt honorem, qui a solo Deo est, neque fide amplecti potuerunt CHRISTUM, qui, in nomine Patris sui veniens, non nisi divina loquutus est et promovere studuit. E contrario quaesiverunt honorem a se invicem, honorem, qui ab hominibus est, eique adstipulari debuerunt, qui, propria sua auctoritate procedens, vitiosis illorum studiis conniveret atque vanas pravasque cupiditates illorum expleret sui causa. — Hanc, quae JESUM inter et adversarios obtinuit, ingenii repugnantiam etiam ut incredulitatis causam attulit JESUS VIII: 23. Judaei sunt ἐκ τῶν κάρτω, ἐκ τοῦ κόσμου τούτου, oriuntur e mundo, qui peccato a Deo abalienatus est et ex huius mundi principiis vitam agunt. Rebus terrestribus totum animum applicant, quo fit ut illorum animus ab regni divini bonis abhorreat et CHRISTUM respuat, qui ἐκ τῶν ἄνω, οὐκ ἐκ τοῦ κόσμου τούτου est et vitam suam dirigit ad normam plane contrariam, ad divinam voluntatem. Dispar haec consiliorum, quibus feruntur, et finium, quos spectant, origo obstat omni JESU atque adversariorum consociationi. — Eandem

animi atque consiliorum diversitatem JESUS VIII: 38 et 47 notavit, aliis quidem verbis, nam pertinaci Judaeorum contradictione concitatus eo processit, ut obstinationem e diabolica illorum origine repeteret. Utrique patrem imitantur, sed non eundem: JESUS Dei honorem propagat, Judaei diaboli (sect. 38). Qui e Deo est, cui inest sensus divinarum rerum, in quo melioris naturae vox haud obmutescit, ille Dei verba, quae JESUS loquitur, accipit; propterea vos non auditis, quod careatis omnium cum Deo cohaerentia, quippe filii diaboli (sect. 47).

Præter hanc incredulitatis causam, quae in depravata animi conditione cernitur, JESUS indicavit aliam, quae e mentis vitio oritur. Huius mentionem fecit VII: 28. JESUS non sua auctoritate venit, sed illius, *quem adversarii non noverunt*: VIII: 54 *Judaei non noverunt Deum*, qui JESUM honore afficit, licet eundem suum Deum dicitarent. Cuius Dei rerumque divinarum recta notitia quum Judaei destituti essent, divinam in CHRISTO manifestationem nullo modo animadvertere potuerunt. — Haec autem intellectus vitiositas, quae Judaeis ne crederent impedimento fuit, e voluntatis corruptela, de qua egimus, sponte profluit. Is tantummodo, qui mundus corde, amore Dei imbutus, divinae voluntatis faciendae studiosus est, Deum videre, divina callere atque dijudicare potest; qui autem coeco sui amore fertur et carnis servituti obtemperat, rei divinae intelligentiam amittit Deique patefactionibus internoscendis impar est, namque iudicium facit secundum speciem, secundum carnem iudicat, divinas res exigit

ad rationem carnis, h. e. ad rationem divinac veritati contrariam atque infensam, prouti JESUS VII:24 et VIII:15 adversariis exprobravit. Igitur ut Deum noverimus eiusque veritatem intelligamus, ad eius voluntatem animum intendamus necesse est; huiusce studii expertes esse adversarios JESUS deliberato consilio significavit VII:19. MOSES enim iis dedit legem, quae Dei voluntatem continet atque patefacit, et hanc legem nemo eorum observat; namque e perditissimo, quod erga JESUM inierunt, consilio constat, illos divinae legi haud studere, sed adversari. Tali malitia polluti non potuerunt divina agnoscere atque amplecti. — Cum dictis, quibus JESUS adversariorum incredulitatem repetiit ex eo, quod Deum ignorarent, haud pugnare censendus est locus, qui reperitur VIII:19. Hic respondit Pharisaeis, se Deum ut CHRISTI patrem nescire factentibus: *neque me novistis neque patrem meum; si me novissetis et patrem meum novissetis.* His verbis JESUS significavit Dei notitiam e fide sibi habita oriri Judaeorumque incredulitatem esse causam, qua, quominus Deum novissent, impedirentur. Sed ea Dei notitia, quam VIII:19 incredulitatis sequelam dixit, JESUS spectavit claram et perfectam Dei notitiam, quam divinae veritatis consortium fidelibus parit (Matth. XI:27), altera notitia quam incredulitatis fundamentum proposuit, cogitavit animum bene dispositum ad divina agnoscenda.

Ad scriptionis nostrae calcem quum advecti simus, haud abs re videtur omnia, quae contulimus,

uno verbo complecti. Quae JOHANNES nobis prodidit de CHRISTO, divinam suam legationem vindicante, non tantum luce clarius nos docent, pro quo haberi voluerit et a nobis sit habendus, verum etiam egregie conducunt ad Servatoris in dicendo praestantiam cognoscendam. Ex illius evangelio enim compertum habemus, CHRISTUM tanta in adversariis docendis, convincendis, impugnandis, sapientia et scientia usum esse talemque se dignitatis suae vindicem praestitisse, quo perfectiorem ne cogitatione quidem assequi possimus. Uti in perfecta religione patefacienda, ita etiam in illa defendenda, exemplum, quod cognoscatur et suspiciatur dignissimum, sectatoribus suis JESUS reliquit. Illius vestigiis insistentes apologetae religionis christianae regiam viam sequuntur, nec sine magno rerum sacrarum detrimento hoc CHRISTI exemplum negligitur et saepissime neglectum fuit. Ceterum quod tam eximia CHRISTI virtus laetiori caruerit successu, Judaeorum obstinatio in causa fuit, non defensionis vitium: adversarii enim CHRISTI verum videre noluerunt et tenebras praetulerunt luci.

QUAESTIONES.

I.

Divinam JESUS sibi tribuit auctoritatem.

II.

Ratio, qua suam auctoritatem comprobavit ac vindicavit, multis nominibus est laudanda.

III.

Divinam suam legationem cum aliis probavit argumentis, tum miraculis a se editis.

IV.

Non ex animi sui sententia, sed accommodate ad Judaeorum opinionem, Johannis Baptistae testimonium in re sua vindicanda praetermisit, Joh. V: 34.

V.

Nullo usus est argumento, quod rectae rationi esset contrarium.

VI.

Quae JOHANNES cap. XX: 30 et 31 commemoravit *σημεία*, non interpretanda sunt de solis re-

1910820
A 185245

surrectionis documentis, sed de omnibus, quae JESUS perpetravit, miraculis.

VII.

Quae Joh. VII:53—VIII:11, de adultera a Christo non damnata narrantur, pro interpolatis sunt habenda.

VIII.

JACOBUS in sua epistola (cap. II) non obloquitur PAULO, neque inferiori de doctrina salutari opinioni se addictum fuisse prodit.

IX.

Qui peccatorum remissorum conscientiam superstruunt animi vitaeque puritati et justificationem eandem atque sanctificationem esse contendunt, eximio ad beate vivendum momento privant religionem.

X.

Qui miraculum fieri posse negat, Christum, hominem ἀναμάρτητου, existere potuisse neget necesse est.

XI.

Nemo nisi Deus precibus est adeundus.

XII.

Christianorum ut vitia e suggesto sacro sunt reprehendenda, ita et virtutes laudandae. Quod qui negligit, morosus videtur censor, increpando parum profuturus.